



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**VRBIS|| HIEROSOLIMÆ|| QVEMADMODVM EA CHRISTI||
tempore floruit, & suburbanorum eius brevis.||
descriptio.||**

**Adrichem, Christiaan van
Coloniae Agrippinae, 1585**

VD16 A 298

Ierusalem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64394)

I E R V S A ³³

LEM SICVT CHRI-
STI TEMPORE FLORVIT,
ET SVBVRBANORVM, INSIGNIO-
rumque historiarum eius bre-
uis descriptio.

SIMVL ET LOCORVM,
QVAE IESV CHRISTI ET SAN-
ctorum passione gestisq; decorata, ac religio-
sè à maioribus obseruata, & quasi per manus
posteris tradita, adhuc pia à Christianis ve-
neratione coluntur, succinctus Commenta-
rius: per omnia cyfrarum numeris sua nunc
edita & ad viuum expressa topographi-
ca delineationi conformis ac
respondens.

CHRISTIANO ADRICHOMIO
Delpho Auctore.

I.



ERUSALEM,
ciuitas Dei electa,
sancta, & gloriosa,
fundata in monti-
bus sanctis; loci e-
minentia, caeli soli-
que foelicitate cun-

C
ctas

Loci origina-
les, vbi haec
plerumq;
plenius fu-
susq; tracta-
tur.

Psal 47. a.

& 86. a.

Matt. 4.

a. 5. f.

Pfal. 73. c.
Ezech. 5. b.
38. d. Hiero.
ibidem.
Iosep. lib. 3.
bell. Iudae.
cap. 2.
Deut. 16. c.
17. b.
Pfal. 47. 4.
Tren. 2. e.
Genes. 14. d.
Ioseph. lib. 7.
antiq. Iuda.
cap. 3. & l. 7.
bell. Iuda.
cap. 18.
Genes. 10. c.
Iosue. 10. e.
15. b. 18. c. d.
Iudic. 1. b.
19. c.

etas Mundi vrbes superans, in totius
 Orbis & Iudææ medio, ceu centrum
 & vmbilicus terre, sita est: & tanquam
 Regia inter omnes accolas, velut ca-
 put in corpore, eminet, splendidisque
 ædificijs sicut Sol præ cæteris lucet.
 Tantaque gloria illustratur, vt singu-
 lari quodam priuilegio vnicus olim
 fuerit electus à deo locus: ac non tan-
 tum fidelis cuiusque animæ, verum e-
 tiam electæ militantis Christi in terris
 ecclesiæ, denique & beatæ illius in cæ-
 lo triumphantis exstiterit figura. Vrbs
 perfecti decòris, gaudium & exulta-
 tio vniuersæ terræ. Hæc circa annum
 à Mundo creato, bis millesimū & vi-
 gesimum tertium tempore Abraha-
 mi à Melchisedec rege condita. He-
 braicè SALEM, Græcè verò SOLY-
 MA vocata est: atque ab eo quinqu-
 ginta annis possessa videtur. Quam
 deinde Iebusæi, à Iebuseo filio Cha-
 naan prognati, occupauerūt: à quib⁹
 IEBVS, & IEBVSAEVM aliquādū
 dicta est. quo tempore eius regem Io-
 sue occidit. Tenuerunt autem eam Ie-
 busæi annos octingentos & viginti
 quatuor. tantumq; vrbs fidebant fir-
 mita ti

IERUSALEM

35

mitati, vt Dauide rege ipsam oppug-
nauero, per contemptum cecos, clau-
dos, ac mutilos in mœnibus colloca-
rint, dictitantes hos ad arcendum ho-
stem sufficere.

*2. Reg. 5. b.
1. Par. 11. b.
Ioseph. lib. 7
antiq. cap. 3*

At Dauid cum diuina ope adiutus
ciuitate potit^o esset expulsis Iebusæis,
eam per circuitū reedificans, arce mu-
niens, & inhabitans, totius eam Iudææ
prouinciæ Metropolitim, ac Regni ca-
put fecit: atque deinceps IERUSA-
LEM, quasi IEBVSSALFM, b. ele-
mento euphonię gratia in r. mutato,
Græcè autē inflexo vocabulo HIE-
ROSOLYMA appellata est. Sunt ta-
men qui scribunt à templo, quod So-
lomon in ea magnificentissimum cō-
struxit, Hierosolymam quasi Hieron
Solomonis nuncupatam. Nam Græci
ἱερόν templum vocāt. Succedēte tem-
pore Salomon alijq; reges iuda mag-
nam ei accessionem adiunxerunt, il-
lamq; validissimis portis, turrib. mu-
ris, & fossis; item templo, palatijs, præ-
clarissimisq; eedificijs ita munierunt,
atq; exornauerūt, vt totius Orbis in-
ter vrbes miraculū esset ideoq; silen-
tio magis quàm infimo sermone ho-

Hieron. tom.

3. de locis

Hebra. lit. l.

*Euse. Euāg.
prap lib. 9.*

3. Reg. 3. a.

5. 6. 7. 9. 10.

& cater.

Ioseph. li. 8.

antiq. ca. 2.

& 5.

C 2 noranda

Ioseph. con.
Apion. lib. 1.
Strabo Geographia. l. 16.
4. Regū. 16.
6. 21. a. c. 24.
a. 25.
2. Par. 28 d.
33. a. 36. c.

Mich. 3. d.
Jerem. 25 c.
26. f. 29. c.

Hiero. 10. 3.
trad. Hebr.
in 2. Par. 15.

1. Esd. 1 2.
3. 4. 5. 6.

noranda sit. Hoc ornatu ac splendore annis quadringentis & septuaginta septem velut terrenus Paradisus floruit, habens circuitum quinquaginta stadiorū, & per gyrum vr̄bis, fossam in lapide excisam, sexaginta pedū profunditate, latitudine verò ducentorum & quinquaginta. in qua commorabantur hominum circa centum & quinquaginta milia. Verūm cū principum populiq; impietas non modò templum idolorum abominationib⁹ profanasset, sed etiam sanguine innoxio crudeliter effuso vr̄bem ad os vsque impleuisset, Diuina ultione vnà cum Templo, principibus & populo per Nabuchodonosor Babiloniæ regem (Dei autem flagellum) ita funditus euerſa, ac septuaginta annis desolata fuit, vt Sion quasi ager araretur, & Ierusalem quasi aceruus lapidū esset, & mons templi quasi excelsa siluarum: vtq; interea, teste Hieronymo, nec auis volauerit, nec bestia pertrāsierit per eam. Posthæc templo duntaxat ægrè extructo, portis, turribus & mœnibus carens, à Iudæis de Babilonica captiuitate reuerſis annos sexaginta

ginta

IER VSALEM

7

ginta tres inhabitata est. Cæterum à Neemia intra dies quinquaginta duos, ambitu triginta trium stadiorum, portis, turribus, validoque muro cincta; & postea à Machabæis, Herode, & alijs, perquam magnificè publicis ac priuatis ædificijs ornata, pristino nomine ac statu annis quingentis & viginti quatuor gloriosa & populosa claruit: vicos, propter domorum frequentiam ac densitatem, habens multos & angustos. Quo tempore ibi, ceu in theatro, Iesus Christus salutem nostram operatus est: atque inde, velut à centro, Apostoli Euangelicam prædicationem, in vniuersum terrarum Orbem diuulgauerunt.

Sed Titus Cæsar Romanus in occisionis Christi vindictam anno post Christum passum trigesimo octauo, eam muro triginta noue stadiorum triduo circumdedit, ac Iudæos ex omni tribu festum Paschæ ibi celebrantes, vrbe velut in carcere conclusit. Vnde vrbs illa toti mundo admirabilis, facta est & spelunca latronum, & sepulcrum mortuorum. Nam intestinis cædibus, fame, peste, & gladio, vn-

*Neem. 1. 2.
3. 4. 5. 6. 7.
1. Mach. 12.
e. 13 b. 14. f.*

Iosep. 6. be. 6

Iosep. 1. bell.

15. & cæter.

Psal. 73. 6.

Isai. 2. a.

Mich. 4. a.

Actor. 1. b.

Mar. 16. d.

Psal. 18. a.

Iosep 6. bell.

13 & 7. bel.

14. 17. & 18

C

3

decies

Luc. 19. g.
Euf. in Chro-
nic. & Hist.
Eccl. lib. 4.
cap. 6.
Hier. in loc.
Act. Apo. li.
H.
Nicep. 3. Hi-
sto. Eccl. 24
Broca. in de-
scrip. locorū
terra sancta
itinere. 6. b.

decies centena Iudæorum milia in ea
 perierunt. Ipsamque urbem totam ita
 funditus Titus eruit, ut qui ad eam ac-
 cessissent, habitam aliquando esse,
 vix crederent. Tres autem turres He-
 rodianas, nempe Hippicum, Mariam-
 me, & Phaselum, quæ tam magnitudi-
 ne, quàm pulchritudine præter alias
 eminebāt, ciuitatisque eam muri par-
 tem, quæ eas ab occidenti cingebat,
 inconcussa reliquit tūm ut esset ca-
 strum Romanis militibus illic custo-
 diæ causa relinquendis, tūm ut poste-
 ris indicarent, qualem urbem, quāue
 munitissimam, Romanorum virtus
 obtinisset. Sed post annos sexaginta
 quinque, Iudæis rursus rebellanti-
 bus, Aelius Adrianus Imperator mul-
 ta eorum milia deleuit, ac turres illas
 cum relicto muro penitus destruxit,
 iussitque ciuitatem aspergi sale. quo
 facto, iuxta Saluatoris Oraculum, nō
 est relictus visus lapis super lapidem.
 Ciuitatemque, pomerijs eius pluri-
 mū contractis, denuò extruens, vni-
 uersum montem Sion, vnā cum Pala-
 tio Salomonis, Regine, & domo saltus
 Libani: itē Portam anguli, & castrum
 Affy-

IERUSALEM.

39

Assyriorum, totumq; eum borealem
angulum, ad portam sterquilini &
Portam Ephraim vsque, urbis ambitu
exclufit: montem autem Caluarix, &
Sepulcrum Domini, quæ prius extra
mœnia fuerant, urbis muro septen-
trionali inclufit; & in fronte eius por-
tæ, quâ Bethleem ibatur, suam in mar-
more sculpsit, Iudæis eidem subiectis,
hoc modo significans, eos Romanæ
subiacere potestati: quibus & edicto
interdixit, ne amplius urbem illam
introirent, aut ex loco quopiam ex-
celliore eminens aspicerent, eamq; de-
inceps à suo præ nomine AELIAM
CAPITOLIAM nūcupari voluit.
Post hæc verò à Christianis inhabita-
ta, & Patriarchali sede insignita, suc-
cessu temporis recepto nomine IE-
RUSALEM, annis quingentis in
in Christiana Religione floruit.

Porro anno a Christo nato sexcēti-
simo trigesimo sexto, à Saracæis in Ae-
gypto regnātibus capta, & annis qua-
dringētis sexaginta tribus possessa fuit

Deinde anno Christi millefimo
nonagesimo nono, à Christianis, du-
ce Godefrido de Bullion, qui & pri-

Vilhelm.

Tyr. histor.

bell. sac. lib.

14. cap. 12.

Jacob. vuri.

cap. 55.

Onuphr. in

Chron. Ec-

clesiast.

Vuilhel Tyri

archiep. hi-

sto. bel. sacri

C

4

mus

*lib. 8. cap. 5**18. 19. 20. 21**& l. 9. ca. 1.**2. & 9. lat.**de Vitriac**cap. 20.**B. Salign in**epi. ad Ioan.**à Lotharin**gia Cardin*

mus vrbis murum transcendit, Idibus Iulij magna fortitudine ac summa vi expugnata est, feria sexta, hora nona, eadem scilicet die & hora, qua Christus mortuus est. tantaque per ciuitatis plateas, vicos, & angiportus, ac ipso in templo, tum ciuium, tum eorum qui ex vicinis oppidis & suburbanis in eam confluxerant, facta est strages, tantaque sanguinis effusio, vt nemini nisi per interemptorum funera transitus pateret, ac talos tenus in occisorum sanguine graderentur, vtque ipsi victores à plâta pedis vsque ad verticem cruore maderent. Qui vrbe potiti, armis ac fordib. depositis, loca venerabilia, Christi præsentia, passione, resurrectione, & ascensione sanctificata, à fidelib. qui in Ierusalem habitabant, sibi ostensa, nudis vestigijs mira deuotione diebus septem circumierunt & deosculati sunt. Octaua autem die vnanimiter ducem Godefridum elegerunt, ac Regem Ierusalem creauerunt. At vir Deo plenus, humilitatis causa, corona aurea, Regum more, in sancta ciuitate noluit insigniri: ea contentus, & illi reuerentiam exhibens, quam

IERVSALEM.

41

quam humani generis Imperator, in eodem loco vsque ad crucis patibulū pro nostra salute spineam deportauit Sic itaque IERVSALEM à Christianis recuperata, ab eisdem per octoginta octo annos retenta fuit. Postea anno nimirum millesimo, centesimo octogesimo septimo secunda Octobris, feria sexta dissidentibus (proh dolor) inter se Christianorum principibus, à Salahadino Aegypti Soldano per deditioem recepta est, sub eo pacto vt liceret Christianis tantum efferre, quantum quisque suis humeris posset, qui eam tenuit annis trecentis & triginta. Anno autem Domini millesimo quingentesimo & decimo septimo à Selimo Turcarum Imperatore inuasa, eodem murorum ambitu à Turcis etiamnum possidetur: qui eam Cuzumobarech, siue Codsbarich, hoc est, urbem sacram nominant. A prima itaque eius fundatione, in presentem vsque Christi annum millesimum quingentesimum octogesimalū quintum, fluxerunt anni ter mille, quingenti, & viginti duo.

Basil. Herol.

Bell. sacri cōtinuat. lib. 2.

cap. 7. & lib. 6. cap. 10.

Matt. Palmerius in

chronic.

Massæus in

chronic.

Onuphr. in

chronic.

C 5 LOCI